



**Disputationum ethicarum quinta, de gradibus virtutum et vitiorum, nominatim de speciebus incontinentiae secundum quid. ex 5. & 6. capp. 7. Eth.**

<https://hdl.handle.net/1874/341630>

DISPUTATIONUM ETHICARUM

2 V I N T A

D E

GRADIBUS VIRTUTUM

ET VITIORUM,

N O M I N A T I M

D E

Speciebus Incontinentiae secundum quid.

Ex s. & 6. Capp: 7. Eth.

2 V A M

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRAESIDIO

Clarissimi Dostissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI, Lib.

Art. Mag. & Philosophiae Practicae atque Eloquen-  
tia in Almâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

JOANNES EVERARDUS BOCSTADIUS Ultraject:

Ad diem 16. Martii, horâ decimâ.



V L T R A I E C T I,

Ex Officinâ IOHANNIS à WAESBERGE,

Anno clō 1644.

*Quadruplicato honorandorum Virorum, & Juvenum Ternioni,  
Reverendis, Amplissimis, Clarissimis Viris:*

- D. ABRAHAMO BOCSTADIO, Ultraieffino Excon-  
rectori, de literaria juventute optime merito, Patri.*  
*D. JOANNI-GUILJELMO SOHN, J.C. Illustriss. Naf-  
sovia Comitum Consiliario, Militaris Judicii Groeningæ Præsidi,  
Propatri.*  
*D. DANIELI BERCKRINGERO, L.A.M. Præli-  
cæ Philosophiæ ac Eloquentiæ Ordinario Professore, Disputationis  
Præsidi.*

*Spectabilibus, Strenuis, & Fortibus Viris:*

- D. PETRO KOHLER, Bingæ ad Rhenum Consulari Sena-  
tori, & Mercatori, Patruo, seu Amicæ marito.*  
*D. OTTONI VOLLENHO, Capitaneo Collegii archithalaf-  
fici, quod est Amsterdami, carcerum Præsente, Avunculo.*  
*D. ARNOLDO VOLLENHO, in Mendicantiano Præsidio vi-  
gilum Præsente, Avunculo.*  
*Antiqua & Generosa Nobilitate fulgentibus Invenibus:*  
*D. FRÉDERICO Vander CAPELLEN, Academico-  
rum studiorum cursum feliciter emenso.*  
*D. JOANNI ab ARNHEM.*  
*D. THEODORO ab ARNHEM.*

*Beatribus inter se Pa-  
rruelibus, in suorum  
studiorum palæstra stre-  
nué occupatis.*

*Magnifica Nobilitate, Humanitate, atque Doctrina  
Præcellentibus Juvenibus:*

- D. GUILJELMO Vander MEULEN, Academicorum  
studiorum stadium laudabiliter egresso, Collegii Salvatoris Cano-  
nico.*  
*D. JOANNI FASSIN. } SS. LL. ac Historiarum  
D. GUILJELMO SCHUL. } studiosissimis;*

*Fautoribus & Amicis, ex officio & affectu,*

*Hanc Philosophicam Disputationem*

*D. C. Q.*

*JOANN. EVERARD. BOCSTADIUS,*

*Resp.*

*JOHANNIS W. VERBERGHE*  
*III. cl. ch. 1111*



## DISPUTATIONUM ETHICARUM

QVINTA,

DE

## GRADIBUS VIRTUTUM

ET VITIORUM,

NOMINATIVIM

DE

Speciebus Incontinentiæ secundum quid.

Ex s. &amp; 6. Capp: 7. Eth.

## T H E S I S I.



**I**ncontinentia sive Impotentia secundum quid, hoc est, similitudinem & tralaticnem, dicitur, qua vel egreditur terminos vitii humani, vel non. Prioris generis est Incontinentia Immanis, posterioris in specie Incontinentia Ira, contra ut distincta ita distinguenda ab Incontinentiâ Cupiditatis, qua incontinentia proprie dicta.

## I I

Incontinentia Immanis, ex causâ conficiente, vel est talis secundum quid, ut Medica, hoc est, Morbida sive Morbosa, vel simpliciter, ut Physica sive Belluina, vel Politica sive Consuetudinaria, vel Ethica sive Moralis. Immanitatis quippè causa vel morbus, vel natura depravata, vel educatio atque assuefactio, vel mos contradivisus consuetudini, hoc est, non

## I I I

Ac dari incontinentiam immanem sive ferinam, id verò probatur hoc modo. Incontinentiæ, quæ transgreditur metas incontinentiæ humanæ, illa est ferina, non humana: At illa, quæ dicitur incontinentia immanis est talis: Ergò. Quòd

si igitur illa incontinentia dicitur & perhibetur rectè huma-  
na, quæ non egreditur fines incontinentiæ humanæ, circa-  
quæ illas corporis voluptates occupatur, circa quas vertitur  
humana incontinentia, cur non item atque adæquæ illa, quæ  
egreditur fines incontinentiæ humanæ, versaturquæ circa  
voluptates egredientes naturam humanam, appelletur re-  
ctè immanis? *Eandem non esse incontinentiam propriè & simpli-  
citer dictam, verùm cum adjunctione, atque ex parte, id verò pro-  
batur isto modo. Ut se habet pravitas ad pravitatem, ita in-  
continentia ad incontinentiam: sed pravitates quædam sunt  
simpliciter tales, quædam verò non simpliciter, verùm im-  
manes: Ergò & incontinentia!*

I Y.

*Incontinentia Immanis Medica, hoc est, Morbida, sive Mor-  
bosa est, ut à genere ad species condèscendam, quæ ex mor-  
bo, humorum depravatione, læsionibus membrorum, con-  
trahitur, nominatim ex melancholiâ, exemplo ejus, qui ve-  
grandem nasum se habere existimabat instar caudæ equinæ,  
aut promulcidis elephantinæ, aded ut ex museo exeunti non  
videretur patere exitus per fores, nec non Bellerophontis,  
qui geminam ob causam versari volebat inter homines, ve-  
stigia agnorum lustrans, item phrenesi, exemplo Ajacis a-  
pud Sophoclem, & Herculis furiosi apud Senecam tragi-  
cum. Vocatur à nobis thesi 2 incontinentia immanis secun-  
dum quid, quia rectiùs & correctiùs morbosa affectio, aut  
immanitas quidem, verùm cum adjectione, putà ex morbo.*

V

*Incontinentia Immanis Physica sive Belluina est, quæ propter  
flagitiosam ac perversam naturam delectat, ut si quis gravi-  
darum alvo exsectâ infantes sanguinolentos devoret cum  
Lamiâ muliete per Lamianismum, aut filios comedendos  
tradat in conviviis cum Phalari per Phalarismum, aut clino-  
polin sectetur cum Tiberio per Tiberianismum, aut galeâ  
tectus cum Anthemone procedat, quia metuit, ne fortè cæ-  
lum ruat, per Anthemonismum, qui nihil aliud, quàm ex-  
cessus*



cessus timiditatis supra conditionem ac solitum naturæ humanæ, ut si quis manes & umbram suam extimescat, muris foricis stridore turbetur, muscas prætervolantes metuat, aut foliorum crepitantium & strepitantium motu immane quantum terreatur.

#### V I

*Incontinentia Immanis Politica sive Consuetudinaria est*, quæ ex consuetudine sinistra, adeoque educatione atque assuetatione nascitur, ut cum efferatæ gentes crudis vel humanis carnibus vescuntur, oblitæ pudoris nudæ incedunt, aut cum Achæis & Heniochis ad epulas liberos suos inter se commutant: In quibus exemplis cum sit aliquid *πολιτικόν*, est tamen quoque etiam quid *φυσικόν*, immò *ἠθικόν*: Sed à potiori ac potentiori denominatio scilicet.

#### V I I.

*Incontinentia Immanis Ethica sive Moralis est*, quæ à vitiositate provenit, nihil quæ est aliud, quam dispositio horrenda & cū naturâ humanâ pugnantiã patrandi, non ex infirmitate, sed ex libidine peccandi. Atq; hæc deterior in comparatione, tum quia atrocior excessus, qui ex proæresi proficiscitur, quàm qui absque proæresi, quomodo videmus homicidium à furioso commissum capitale non esse, quia *ἀνευ προαιρέσεως* commissum, enim verò à latrone commissum esse capitale, quia commissum *ἔφ' προαίρεσιν*: Interim horribilior altera, quæ ex morbo, ut in quâ nec ratio vigeat, nec calliditas, sed brutus impetus: Quin immò incontinentia sive impotentia hæc immanis moralis, non tantum morbosâ incontinentiã immani, sed omni deterior, quia rationis usum depravat, inferens non quidem negationem usus, sed tamen depravationem principii, quo fit, ut quemadmodum ignorantia pravæ dispositionis deterior est quavis ignorantia negationis, ita immanitas removens principium, aut depravans potius, quæ proportionem respondet ignorantia pravæ dispositionis, deterior omni incontinentiã immani, cum sit depravatio rectæ rationis, eaque moralis, hoc est, *προαιρέσιν*.

*Incontinentia Ira est, quæ modum deserit in irâ, vel per præcipitantiam, vel per infirmitatem, quarum illa melior hæc, quia qui præcipitantiam peccant, vincuntur ab affectu validiore sine deliberatione, qui verò infirmitate, à minori eum deliberatione. Inter hanc & Incontinentiam Cupiditatis Philosophus comparationem instituit hoc loco, atque Incontinentiam Ira pensiore esse Incontinentiam Cupiditatis probat quinario rationum.*

**I.** Quia ira aliquo modo audiat rationem, tametsi non exaudiat, exemplo servulorum accelerantium, neque expectantium omninò domini præceptum, canisvè latrantis, antequam sciat, amicusvè sit, qui pulsat, an inimicus, notus an ignotus, non item neque itidem incontinentia cupiditatis: Jam verò, quod aliquo modo audit rationem, id minùs utique turpe, quàm illud, quod nullo modo audit rationem, uti dicta cupiditas, quæ solius libidinis explenda causâ movetur. Id quod tamen intelligendum, non in genere de incontinente, sed de incontinente, cum est in fermento perturbationis, cumque agit. Etenim dupliciter incontinens considerari potest, vel antequam à perturbatione occupatur, atque in hoc articulo habet rationem, quæ adhuc viget in eo, cum nondum sit victus, vel postquam jam occupatus est perturbatione, atque in hoc articulo non habet rationem, ut quæ à perturbatione sit victa; necdum ut audiat tunc eam, tantum abest ut exaudiat. **II.** Quia eadem ira sit naturalior, quàm cupiditas: Jam verò illud, quod est naturalius, est minùs turpe, quàm illud, quod est minùs naturale. Magis naturalem esse iram, quàm cupiditatem, id verò colligit Philosophus ex eo, quia magis similes patribus sint filii in iræ affectu, quàm in cupiditatis, idque ob complexionis communicationem: Quod si ita, si complexio aliquo modo similis communicatur filiis, nã naturalior erit ira, quàm cupiditas, quæ non ita videtur fluere ex principiis complexionis & generationis, quemadmodum ira. Sed & hoc intelligendum sciicet, non de quavis cupiditate, verùm de cupiditate

non



non necessariâ, v g, exquisiti ac delicati cibi & potionis. Nam cupiditas necessaria cibi & potus inexquisiti atque inaffectati, quatenus ipsa natura hunc expetit, etiam naturalis est, & quoad debitam quantitatem, & quoad debitam qualitatem, cum sine cibo & potu vivere nequamus. III. Quia illa incontinentia, quæ magis est injusta, turpior, quam quæ minus: At incontinentia cupiditatis est huiusmodi, ut quæ utatur insidiis & dolis, unde poëta Venerem dolosam vocant: Ergò! IV. Quia id, cui magis succensemus, est deterius eo, cui minus: At incontinenti cupiditatis magis succensemus, quam incontinenti iræ, quoniam ille cum voluptate agit, hic cum dolore: Ergò! V. Quia cupiditas conjuncta est cum injuriâ & contumeliâ, ira non item, saltem non æquè. Quod enim ira commotus quis facit, id absque contumeliâ facit, quia facit cum dolore, cum contumeliâ juncta sit cum voluptate. Quid enim aliud contumeliâ, quam injuria alterius quidem cum dedecore ac pudore, suâ verò nullâ cum utilitate, solius voluptatis petulantis explendæ gratiâ, finitore Aristotele. Est quidem & sua irato voluptas, at non ratione iræ, quæ semper est cum dolore, verum ratione vindictæ, quâ nihil dulcius. Sed *inquit*, ne incontinentiâ peccare videar in argumento incontinentiæ.

## Corollaria Textualia.

**A** Non immanitas sive feritas minus sit malum, quam vitium commune? Aff.

**I I.**  
Annon interim formidabilior feritas? Aff.

**I I I.**  
An in bestias cadat incontinentia propriè dicta? Neg.

**I V.**  
Annon habitus v g. injustitia suapte natura sit minus malus, quam habitu præditus? Aff.

COROL-



## Corollaria Cognata.

**I.**  
**A**N virtus heroica sit mediocritas inter duo vitia? Neg.

**II.**  
Et, quemadmodum illa nos reddit similes Deo, ita opposita feritas diabolo? Aff.

**III.**  
An incontinentia immanis consuetudinaria constituat diversam speciem à morbosa? Quodl.

## Corollaria Respondentis.

**I.**  
**A** Micorum omnia sunt communia.

**II.**  
Amare melius, quàm amari.

**III.**  
Tres faciunt collegium.

**IV.**  
Persona Ecclesiastica non debent gerere Magistratum Politicum.

**V.**  
Bella Christianis sunt licita.

**VI.**  
Est cum praestat tyrannicidium & tyrannifugium tyrannicidio.

**VII.**  
Bellum Anglicum modernum non est bellum legitimum, sed piratica mera.

**VIII.**  
Prælio victor, qui dominus loci prælii à prælio, adeoque Belga, non Anglus in nupero conflictu.

**F I N I S.**